

CAPUT XXI.

DE EMPLASTRIS.

EMPLASTRUM AD FRACTURAS.

℞ Mucilaginis Radicis Althææ,
 Confolidæ majoris,
 Olei myrtini ana libras duas;
 Sebi Hircini,
 Lithargyri præparati ana libram unam;
 Minii uncias sex,
 Terebinthinæ,
 Mastiches pulveratæ,
 Boli Armeniæ præparatæ ana uncias quatuor:
 Cum Mucilagine, Oleo, & Sebo Lithargyrus, &
 Minium assidue subigendo, moderato igne q. f. coquan-
 tur: quibus primum Terebinthina, deinde Bolus, &
 Mastiche perfecte commisceantur.

EMPLASTRUM DE PELLE ARIETINÆ.

℞ Pellem Arietinam recentem
 Olei Nucum Juglandium libras tres;
 Lithargyri præparati libram unam cum dimidia,
 Colophoniæ libram unam,
 Mastiches,
 Benzoini,
 Mumia ana uncias tres,
 Sanguinis Draconis veri,

Alu-

Aluminis puri,

Hæmatitis præparati.. ana unciam unam, & semis:

Arietina Pellis frustatim dissecta bulliat in sufficiente quantitate Aquæ communis ad liquamen: tum exprimatur, & coletur decoctum. Hoc paulatim affundatur Oleo ferventi una cum Lithargyro, & assidue revolvendo coquantur in Emplastrum, in quo primum Colophonia, deinde Mastiche liquefiant; atque his vix dum tepentibus cætera optime pulverata admisceantur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE ALTHÆA.

R Olei Chamæmeli,
Liliorum alborum,
Ceræ albæ,
Sebi Hircini ana uncias octo,
Adipis Gallinæ)
Medullæ Vituli) utriusq. expurgatæ.. ana unc. tres,
Radici Althææ in subtilem pulverem tritæ uncias quatuor;
Emplastri Diachylonis simplicis libram unam, & semis:

Oleum, Cera, Emplastrum, & Adipes simul liquefiant, quibus ab igne remotis addatur Althææ Pulvis: tum pistillo ligneo assidue materia agitur, donec spissescere incipiat; hinc in tubulos chartaceos effundatur.



EM-

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM
DE BETONICA.

℞ Succorum Betonicæ,
 Plantaginis,
 Apii vulgaris . . . ana libras duas,
 Foliorum Betonicæ,
 Plantaginis,
 Solani hortensis,
 Millefolii
 Verbenæ . . . ana manipulos duos;
 Terebinthinæ lucidæ . . . libras sex,
 Cerae albæ . . . libras quatuor,
 Resinæ Pini pulveratæ . . . libram unam,
 Gummi Elemi pulverati . . . uncias octo:
 Recentium herbarum Folia contusa in Succis, ac
 Terebinthina diebus octo ad solem macerentur: hæc
 deinde ad humoris aquosi exhalationem bulliant: tum
 prælo exprimantur; & colentur; in quibus percolatis
 liquefiat Cera, deinde Pini Resina, postea Gummi Ele-
 mi; atque omnibus perfecte commistis, & refrigeratis
 fiant Magdaleones.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM
DE CERUSSA.

℞ Cerussæ pulveratæ,
 Olei communis . . . ana libras quatuor,
 Cerae albæ . . . libram unam:
 Coquatur Cerussa in Oleo, Aquam, ut artis est, in-
 sper-

ſpergendo, & ſpatha lignea indefinenter ſubigendo ad conſiſtentiam Emplaſtri: cui tunc adjecta Cera, dum liqueſcit, accurate admiſceatur. Refrigerato Emplaſtro fiant Magdaleones.

EMPLASTRUM DE CICUTA CUM AMMONIACO.

R Succi Cicutæ,
 Olei ejuſdem ana libras duas,
 Lithargyri præparati libram unam,
 Terebinthinæ uncias ſex,
 Gummi Ammoniacy pulverati . . . libram unam,
 Camphoræ,
 Salis Ammoniacy ana unciam unam:

In Oleo, & Succo Cicutæ Lithargyrium ad Emplaſtri conſiſtentiam coquatur: tum Terebinthina, & Gummi Ammoniacum addantur. Emplaſtro ab igne remoto, ac reſecto Sal Ammoniacum una cum Camphora ſubtiliſſime pulveratum admiſceatur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE MELILOTO.

R Olei Meliloti libras duas;
 Sebi Hircini libram unam,
 Cera citrinæ uncias octo,
 Terebinthinæ,
 Florum Meliloti ana uncias ſex,
 Gummi Ammoniacy,
 Sagapeni . . . ana unciam unam, & ſemis:
 Oleo,

Oleo, Sebo, Terebinthinæ, & Cera simul liquatis;
ac reperfactis adde cætera in pulverem optime trita, &
fac Emplastrum.

EMPLASTRUM DE SAPONE.

R Cerussæ pulveratæ
Minii ana libram unam,
Olei Olivarum libras tres,
Saponis uncias octo:
Omnia simul coquantur in Emplastrum spatula assi-
due versando, & Aquam sensim inspergendo.

EMPLASTRUM DE TACAMAHACA.

R Gummi Tacamahacæ uncias tres,
Carannæ drachmas sex,
Balsami Peruviani sicci,
Terebinthinæ Cy-
priæ ana unciam unam, & semis:
Igne lenissimo cuncta simul liquefiant, & commi-
sceantur.

EMPLASTRUM DIABOTANUM.

R Radicum, & Foliorum recentium
Bardanæ,
Chamæpitys,
Valerianæ,
Angelicæ,
Helenii,
Aristolochiæ rotundæ,

Ra-

Raphani rusticani,
 Cucumeris agrestis,
 Scrophulariæ,
 Cyclaminis,
 Chelidonii minoris ana uncias tres,
 Succorum Cicutæ,
 Hormini,
 Chelidonii majoris ana libras quatuor,
 Lithargyri præparati libras duas, & semis,
 Olei Olivarum libras quatuor,
 Cerae Citrinæ,
 Terebinthinæ,
 Colophoniam,
 Gummi Tacamahacæ,
 Sulphuris vivi ana libram unam,
 Bituminis Judaici,
 Olibani,
 Mastiches,
 Myrrhæ ana uncias sex,
 Euphorbii,
 Caphuræ ana unciam unam, & semis,
 Olei essentialis Caryophyllorum femunciam:

Herbas una cum Radicibus mundatas, & in pila marmorea contusas pone in fictile idoneo, quibus Succos affunde: biduum macerari finito: deinde ad medias decoque: tum prælo expressum Liquorem cum Lithargyro, & Oleo continenter agitando ad idoneam consistentiam redige: adde Ceram, Colophoniam, & Terebinthinam: postea Tacamahacam, Masticem, Euphorbium pulverata. Vas ab igne remove, & cum tepuerit

Hh

Em-

Emplastrum, reliqua in subtilem pulverem trita, cui Oleū Caryophyllorum instillaveris, accurate permisce.

N. Diabotanium cum Mercurio paratum habebis, si unciam unam Hydrargyri ad singulas Emplastri libras adjeceris. Prius autem Mercurius purificatus pulvere vivi Sulphuris, & adipe viperino extinguendus.

EMPLASTRUM DIACHYLUM SIMPLEX.

R Mucilaginum Radicis Althææ,
Seminum Fœnugræci,
Lini . . . ana libras duas,
Olei Olivarum libras sex,
Lithargyri præparati libras quatuor:
Lithargyrus cum Oleo, assidue agitando, & sensim
Mucilaginem adjiciendo, coquatur ad justam Emplastri
consistentiam.

EMPLASTRUM DIACHYLUM MAGNUM CUM GUMMI.

R Emplastri Diachyli simp-
plicis libras quatuor, & semis,
Terebinthinæ uncias quatuor,
Ceræ,
Œsypi,
Resinæ Pini ana uncias tres,
Ichthyocollæ,
Succi Scillæ ana uncias duas, & semis,
Radicis Iridis uncias sex,
Gummi

Gummi Ammoniaci,

Galbani,

Bdellii,

Sagapeni . . . ana unciam unam cum dimidia :

Diachylum, Terebinthina, Cera, & Cæsypus simul liquefiant : hisce liquatis Ichthyocola in Succis dissoluta, percolata, & humore ejus, quantum satis; vaporatione absumpto addatur : tum Pini Resina, & Gummi pulverata, & cribro serico trajecta commisceantur.

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.

R Resinæ Pini libram unam ;
Terebinthinæ uncias sex ;
Sandaracæ uncias quatuor ;
Gummi Ammoniaci,

Galbani ana uncias tres,

Sulphuris vivi uncias duas :

Pini Resina, & Gummi pulverata cum Terebinthina igne leni liquentur. His paullulum refrigeratis Sulphur in pollinem lavigatum permisceatur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM EPISPASTICUM.

R Cantharidum uncias duas ;
Cerae flavæ,
Colophoniz ;
Terebinthinæ : : ana unciam unam, & semis :

Hh 2

Can-

Cantharides tritæ cæteris simul liquefactis, percolatis, & ad teporem redactis commisceantur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM MERCURIALE.

R Lithargyri præparati,
Axungia Suillæ,
Olei Olivarum ana libras duas;
Gummi Ammoniaci,
Cerae flavæ,
Mercurii per Corium trajecti ana uncias sex,
Adipis Viperini,
Terebinthinæ,
Sulphuris vivi lævigati ... ana unciam unam, &
semis:

Lithargyrium cum Axungia Suilla, & Oleo, addita identidem Aqua, ad justam Emplastri consistentiam, spatula lignea assidue agitando, coquatur: adde Ceram, & Ammoniacum pulveratum: His liquatis, ac teperefactis Mercurium, qui Adipe Viperino, Terebinthina, & Sulphure extinctus sit, accurate commisce.

N. Emplastrum duplicato, vel triplicato Mercurio conficiatur, addendo singulis Emplastri libris drachmas sex, vel unciam unam, & semis Mercurii.

EMPLASTRUM NIGRUM.

R Cerussæ pulveratæ libram unam,
Lithargyri præparati uncias sex,
Olei Seminum Lini libras duas,
Olei,

Olei e Vitellis Ovorum uncias duas;
 Aceti acerrimi libram unam:
 Igne leni, & semper agitando percoque in Empla-
 strum juxta consistentiæ, & fusci coloris.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM
 NORIMBERGENSE.

R Olei rosati,
 Aquæ communis ana libras duas;
 Minii,
 Cerae Citrinæ ana Libram unam, & semis,
 Sebi Cervini,
 Camphoræ ana drachmas novem:
 Oleum cum Minio, adjecta sensim Aqua, coque ad
 idoneam crassitudinem: tum adde Ceram, qua liquata,
 cum tepuerit Emplastrum, accurate commisce Cam-
 phoram aliquantulo Olei dissolutam.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM
 OXYCROCEUM.

R Cerae flavæ,
 Picis navalis,
 Colophonix ana libram unam,
 Terebinthinæ,
 Galbani in Aceto soluti, & ad ignem lenem spissati,
 Mastiches ana uncias quatuor,
 Croci,
 Myrrhæ,
 Olibani ana uncias duas:
 Cera,

Cera, Colophonia, Pix, Terebinthina, & Galbanum simul liquecant. His percolatis addantur Mastice, tum Myrrha, & Olibanum pulverata, quæ scilicet ad extremum una cum pulverato Croco repenti Emplastro admiscenda sunt.

EMPLASTRUM DE LITHARGYRO, VULGO PALMEUM.

R Lithargyri præparati,
 Olei Olivarum ana libras quatuor;
 Adipis Suilli libras duas;
 Adjecta paulatim Aqua communi, ut artis est, percoquantur in Emplastrum.

EMPLASTRUM STYPTICUM.

R Mucilaginis Radicis Consolidæ majoris...libras sex,
 Olei Nucum Juglandium . . . libras quatuor,
 Minii,
 Lithargyri præparati . . . ana libram unam,
 Lapidis Calaminaris lævigati . . uncias quatuor,
 Sanguinis Draconis veri,
 Terræ dulcis Vitrioli,
 Aluminis rupei . . . ana unciam unam;
 Radicis Aristolochiæ rotundæ unciam unam, & semis;
 Minium, Lithargyrum, & Lapidem Calaminarem cum Oleo, addendo sensim Mucilaginem, coque s. a. in Emplastrum; quo paululum refrigerato cætera in pulverem tenuissimum trita diligenter commisce.

F I N I S.